

perique Occidentis Episcopi sunt coeati: sed si lapsus est LIBERIUS, attentis Arianorum fraude, ferocia, et ausibus alias susceptis, non apparet cur hoc in conventu LIBERII suffragium favens neglexerint, aut, siquidem illum mutatum norant, cur eum minis et exilio rursus frangere noluerint; ergo lapsus LIBERII cum Ariana agendi ratione minime concordare videtur.

314. *Nec dicas* 1°. Argutationibus quibuscumque prævalere debet confessio propria: sed in Fragmentis S. HILARII recitantur plures LIBERII epistolæ, inter quas duæ sunt scriptæ ad Orientales, quarum prior (fragm. 4.) a verbis, *Studens paci*, posterior (fragm. 6. n. 5.) his, *Pro deifico timore*, inchoatur; et duæ ad Occidentales exaratae sunt, quarum prior (fragm. 6. n. 8.) incipiens, *Quia scio vos*, Valenti, Ursacio, Germinio, posterior (fragm. 6. n. 10.) exorsa, *Non doceo*, Vincentio Capuano inscribitur: sed in his quatuor Litteris proficitur Athanasium a se damnari, communionem datam Arianis, subscriptum formulæ Sirmiensi; ergo.

R. N. Litteras has esse LIBERII proprias et genuinas: 1°. quia Fragmenta S. HILARIO adscripta partim a Dupinio et quibusdam aliis illi penitus abnegantur, partim juxta Criticos plerosque multis in locis corrupta sunt et interpolata: 2°. quia SULPITIUS SEVERUS, qui tamen, notantibus Petavio et Patribus Benedictinis, compendium *Arianismi* ex HILARII fragmentis suæ historiæ inseruit, de his litteris nihil, nihil de lapsu LIBERII, imo causam pro ejus reditu diversam et oppositam commemorat: 3°. quia his in litteris apparet abjectio animi indignissima, et abhorrens ab animi magnitudine, quam LIBERIUS in aliis plerisque occasionibus exhibuit: 4°. quia in prima ad Orientales, et in ea ad *Valentem et Ursacium* LIBERIUS inducitur scribens, jam ab initio Pontificatus sui ATHANASIIUM a se fuisse communionem privatum; quod tamen historiæ communi, ATHANASII in Hist. Arian., et THEODORETI L. 2. c. 16. narrationi, ac dictis ipsius LIBERII, quæ epistola ad Vincentium Capuanum, et altera ad Constantium in Fragmentis relate exhibent, aperte repugnat: quam ob rem hæc *duæ epistolæ* non tantum a Dupinio, sed et a Baronio, Binio, et Patribus Benedictinis tanquam apocryphæ, et ab Arianis suppositæ rejiciuntur; atque hinc probabile fundamentum præbet, cur et aliæ duæ epistolæ, Liberii lapsum referentes, in suppositionis suspicionem adducantur.

315. *Nec dicas* 2°. ATHANASIIUS et HILARIUS LIBERIO coeivi semel ac iterum ejus lapsum declarant: ille quidem 1°. in Apolog. contra Arian. n. 89. scribit, *Liberium exilii ærumnas ad finem usque non tolerasse*: 2°. autem in Hist. Arian. ad Monachos n. 41. hæc habet: *Porro Liberius extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit*. HILARIUS vero imprimis in L. contra Constantium n. 11. ita eum alloquitur: *Vertisti deinde usque ad Romam bellum, eripuisti inde Episcopum; et o te miserum! qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris*. Deinde in Fragmentis tria præstat: 1°. quidem hæc narrat (fragm. 6. n. 4.) *Post hæc omnia, quæ vel gesserat vel promiserat Liberius, missus in exilium, universa in irritum deducit, scribens prævaricatoribus hæreticis Arianis, qui in sanctum Athanasium orthodoxum Episcopum injustam tulere sententiam*. 2°. Formulam apud Sirmium descriptam, quam dicebat Liberius Catho-

licam, vocat (fragm. 6. n. 7.) *perfidiam*. 3°. Liberium vocat (fragm. 6. n. 6. et 9.) *apostatam et prævaricatorem*, illique *anathema* dicit.

R. N. Ass. Allata enim testimonia vel lapsum LIBERII non probant, vel Patribus his supponuntur. Priorem notam merentur loca utriusque prima. Recte enim ATHANASIIUS dixit, LIBERIUM ærumnas exilii non tolerasse usque ad finem, utpote qui ab exilio rediit: quin, dum ibidem *Osius minis perterritum Constantio ad tempus non restitisse* scribat, simile autem nihil addat de LIBERIO; ex illa propositione, veritati etiam sine lapsu congruente, nihil pro isto evincitur. Similiter ut HILARIUS vere diceret nescire se, an Constantius majore impietate LIBERIUM relegaverit, quam remiserit, sufficiebat LIBERIUM ante reditum a Constantio fuisse male habitum: adeo autem ad veritatem hujus asserti non requiritur triplex illud LIBERII crimen, ut alias HILARIUS nescire potuisset, majore impietate coinquinatam fuisse remissionem præ relegatione. Posterior nota reliquis textibus convenit.

Et quidem textum ATHANASII in Hist. Arian. ad Monach. pro supposito habendi ratio 1°. est, quod hæc historia scripta fuerit, vivente adhuc Leontio Antiocheno, quandoquidem ATHANASIIUS num. 287. de eo tanquam vivo loquitur. Cum vero Leontius ex Baronii, Valesii et Petavii calculo an. 356. fuerit mortuus, LIBERIUS autem et OSIUS anno 357., vel sub initium anni 358. dicantur lapsi, ex hoc anachronismo indicium suppositionis habetur: 2°. quia in eadem periodo mentio fit de Osio, et ejus lapsus hoc definitur, quod *vix tandem cum Valente et Ursacio communicaret*. Sed majus OSII crimen, nempe Arianae formulæ subscriptionem, HILARIUS et PLEBABDIUS produnt; et ipse ATHANASIIUS tum in Apolog. contra Arian., tum in Lib. de fuga sua addit, OSIUM in ATHANASII damnationem concessisse: 3°. quia plures Critici, inter quos Bollandus et Tillemontius, fatentur esse additamenta, quæ in Athanasii libris de Lapsu LIBERII et OSII leguntur; quamvis velint factam ab ipso ATHANASIO additionem: pro quo tamen asserto cum nulla convincens ratio habeatur, hæc ipsa confessio præjudicium quoddam contra textum Athanasianum generat. HILARII loca, quoniam ex Fragmentis referuntur, iisdem suppositionis suspicionibus patent, quas ad priorem probationem contra litteras LIBERII ibidem contentas ostendimus.

Accedunt indicia corrupti textus specialia. Nam in *primo* ATHANASIIUS compellatur *Sanctus*, sine quo tamen adjectivo HILARIUS in plerisque suis operibus, ac in ipsis Fragmentis alias et simpliciter ATHANASIIUM appellat: in *secundo*, quæ formula compellatur *perfidia*, ab HILARIO in L. de Syn. probatur tanquam catholica: quæ referuntur in *tertio*, repugnant dicto HILARIO in Fragm. alteri, quo epistolæ LIBERII ad Orientales primæ hanc questionem subjicit (fragm. 4. n. 2.): *Quid in his litteris non sanctitatis, quid non ex metu Dei eveniens est?* minime vero conveniunt tempori. Cum enim Fragmenta fuerint scripta post Concilium Ariminense, contra quod, DAMASO in epist. ad Illyricos teste, LIBERIUS fidem Nicænam strenue propugnavit; Apostatæ et prævaricatoris nomen, multo autem minus anathema in LIBERII hoc tempore conjici poterat.

316. *Nec dicas* 3°. Inter Scriptores Liberio suppare numerantur S. HIERONYMUS et *Faustinus cum Marcellino*: hi vero LIBERIUM esse lapsum aperte enuntiant. HIERONYMUS enim L. de Scriptor. Eccles. c. 97. ait: *Fortunatia-*

nus... in hoc habetur detestabilis, quod *Libertium* pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit ac fregit, et ad subscriptionem hæreseos compulit. Et in Chronico hæc scribit: *Libertius tædio victus exilii in hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit. Faustinus et Marcellinus* demum in sua ad Libellum precum præfatione (Opp. sirmondi t. 1.) dicunt: *Constantius veniens Romam, pro Libertio rogatur a Populo, qui mox annuens ait: Habetis Libertium, qui qualis a vobis profectus est, melior revertetur. Hoc autem de consensu ejus, quo manus perfidiæ dederat, indicabat.*

R. Quoad 1^{um}. auctoritatem S. Hieronymi quidem videri contrariam, probabilitati tamen hujus opinionis non facere præjudicium; quia, tanquam Scriptor et loco et tempore saltem 30. annorum remotus, ex falso per Arianos sparsa rumore, falsum scribere potuit; præsertim cum in utroque loco nihil de Athanasii condemnatione et eommunionem cum Arianis, alias LIBERTIO imputata, meminerit, et in recensendis etiam suæ ætatis factis a Tillemontio sphalmatum arguatur. Præterea ex ATHANASII Apolog. ad Constant. n. 27. habetur, Fortunatianum apprimè antea Catholicum, nonnisi vi adactum in Concilio Mediolanensi subscripsisse damnationi ATHANASII; adeoque difficultate non caret, ut quis credat eum postea et Arianum effectum, et auctorem hæreseos LIBERTIO extitisse. Tandem *Chronicon Hieronymi* non uno loco corruptum esse, Critici plures advertunt; et locus ex eo allatus quamdam contradictionem habere videtur; cum reditus *victoriæ* similis cum prævio in *hæreticam pravitatem* lapsu ægre concilietur.

Quoad 2^{um}. R. Vel illa præfatio non est *Marcellini et Faustini*, quod plures ex diversitate illius cum Libello subjuncto ostendunt: vel siquidem eodem habeat auctores, præfatio tam parum auctoritatis habet, quam certum est Libellum precum imposturis et mendaciis esse refertum: vel his omnibus dissimulatis, *perfidiæ* nomen leviorè tantum in œconomia defectum significat, pro quo facilitas quædam LIBERTII erga *Arianos* ostensa haberi potest; cum in Libello etiam laudetur Macarius ob recusatam cum DAMASO communionem, quæ ibidem *perfidiæ* appellatur.

Testimoniis his probabiliter infirmatis, minus necessarium est ad auctoritatem aliorum Scriptorum infringendam converti. Qui enim obijciuntur, *Auxilius* L. 1. de Ordinat., *Petrus Damiani* epist. 15. c. 16., et *Platina* in Vit. Pontif., tempore nimis remoti sunt, utpotè quorum antiquissimus ante seculum nonum non vixerat. Unus *Sozomenus* (L. 4. c. 15.) quantumvis et ipse integro seculo posterior, difficultatem forsitan movere posset; nisi rationes contra Hieronymum allatæ multo validius contra eum intorquerentur; quanquam et ipse narrationem de lapsu Libertii vulgato ab Arianis rumori tribuat. V. P. Zaccar. Thesaur. Theol. t. 2. L. 1. part. 2^a. Opusc. 5.

317. Dico II. Si cui Sirmiensi formulæ subscripsit LIBERTIUS, non subscripsit tertiæ, nec secundæ, sed primæ duntaxat. In hac responsione tria supponuntur:

1^{um}. Est, monumenta fere omnia, quæ hactenus infirmare conati simus, esse genuina ac vera.

2^{um}. Ex his excerpti hanc historiam: LIBERTIO in exilium misso, conjuraverat quidem Clerus Romanus se alterum Pontificem, vivente LIBERTIO, non habiturum: sive tamen vi Constantii prævalente, sive mutata Romanorum

sententia, paulo post FELIX Romanæ Ecclesiæ Diaconus Pontificatum suscepit; qui quamvis fidem Nicænam professus, quia tamen ab *Arianis* ordinatus, iisdem communionem non negabat, Romanorum odium incurrit, et LIBERTII desiderium in illis accendit. Quare cum perpetuo abstinuissent ab Ecclesia ubi FELIX divina faciebat, tum legatione missa, tum præsentis supplicatione a Constantio triumphum Romæ agente anno 337. restitui sibi LIBERTIUM postularunt. Imperator redditurum se Romanis LIBERTIUM promisit, primo quidem divisa eum inter et FELICEM Pontificia potestate, postmodum etiam eadem LIBERTIO ex integro permissa. Dum hæc Romæ fierent, sollicitabatur LIBERTIUS Beroeæ a *Demophilo Beroeensi* et *Fortunatiano Aquileensi*, ac tandem, sub ejusdem anni finem aut initium sequentis, primum se ab ATHANASIO recedere, et rejectos alias Episcopos in communionem adsciscere testatus, dein Sirmiensem fidei formulam sibi oblatam suscepit. Nec statim tamen, nec absque nova subscriptione reditum obtinuit. Nam Sirmium evocato Codex, præter Sirmiensem formulam decreta Antiocheni Concilii contra Paulum Samosatenum et alterius Antiocheni an. 341. ecthesin complexus, offertur subscribendus: cui postulationi, sed impetrata vicissim ab Arianis Filii cum Patre per omnia similis professione, cum satisfecisset LIBERTIUS, anno 338. jam profecto Romam plaudente populo et Felicem ejiciente regressus, priorem sedem non minus quam fidei constantiam recuperavit.

Denique 3^{um}. est, formulam Sirmiensem, cui subscripsit LIBERTIUS, distinguendam esse ab illa damnatione, quam an. 349. Catholici contra Photinum etiam Sirmii ediderunt: in se tamen non fuisse duplicem et distinctam sed eandem Sirmiensem formulam, quæ tum Beroeæ tum Sirmii a LIBERTIO fuit subscripta, quamvis, ut dictum est, in posteriori loco huic formulæ alia etiam acta Antiochena subscribenda fuerint addita. His præmissis

Prob. p. 1^a. Tertia Sirmiensis formula conscripta fuit an. 359., ut ex denominatione Consulium adjuncta patet, *dictante fidem* Marco Arethusio, ut HILAR. in Fragm. loquitur, et ad hunc finem edita est, ut indictis jam Ariminensi et Seleuciensi Synodis pro norma daretur: sed LIBERTIUS, ex omnium consensu jam an. 338. Romam regressus erat; et formula, quam suscipi a se in ep. ad Orient. scribit, a pluribus Fratribus et Coepiscopis tractata, *exposita, et suscepta est*; et norma Sirmiensis Ariminum ab Ursacio et Valente allata, teste DAMASO in ep. ad Illyricos, a LIBERTIO fuit refutata; ergo.

Prob. p. 2^a. Formula secunda, sive spectetur quoad intrinsecam sive quoad extrinsecam, nequit dici subscripta a LIBERTIO. Ostenditur 1^{um}. Formula secunda, ratione prohibitorum *ὁμοούσιος* et *ὁμοούσιος*, et ratione doctrinæ de inæqualitate Filii a Patre, erat *Aridna* imò *Anomæa*, et ut talis laudata quidem fuit ab *Eudoxio Anomæo*; sed e contrario damnata est a *Basilio* in Conc. Ancyrano, nec non a Constantio vetita: atqui LIBERTIUS nec damnavit *ὁμοούσιος* quia *Sozom.* L. 4. c. 15. sparsum de hac re rumorem vocat *falsum*: nec suscepit *ἀνόμοιον*; quia ipse, ex dictis, vicissim postulavit professionem de similitudine Filii per omnia: nec ad obtinendum ab exilio reditum subscripserat formulæ, quam libertatis dator *Constantius* suppressit, *Basilius* restitutionis procurator damnavit, et ob quam *Eudoxius* exilio est mulctatus; ergo. Ostenditur 2^{um}. Formula secunda concepta fuit sermone latino, subscripta tantum ab Occidentalibus, edita autem an. 357.: sed formula, cui

subscripsit LIBERIUS, concepta est græce, ut ex ATHANASIO et SOCR. L. 2. hist. c. 30. discimus; subscripta est ab Orientalibus, ut supra ex VIGILIO TAPSENSI et HILARIO diximus; tandem nequit an. 337. esse edita; cum alias suscepta a LIBERIO formula conscribi non potuisset ab iis, quibus tamen HILARIUS eam signatis verbis tribuit: tum quia *Theodorus Heracleensis* inter eos nominatus jam an. 333. obierat: tum quia *Eudoxius et Cecropius* an. 337. Sirmio aberant: tum quia *Basilus Ancyranus* vix editam secundam formulam eodem adhuc anno damnarat; ergo secunda Sirmiensi formula non est ea, cui subscripsit LIBERIUS.

Prob. p. 3^a. Supponitur LIBERIUS subscripsisse uni ex tribus formulis Sirmiensi Ariani: non autem subscripsit 3^a. vel 2^a.; ergo 1^a. duntaxat subscripsit. *Conf.* Formula subscripta a LIBERIO, ab eodem in ep. ad Oriental. dicitur Catholica et a pluribus tractata, exposita et suscepta: sed hoc soli 1^a. formulæ convenit, quæ scilicet Catholico sensu accipi potest, et præ cæteris plures suffragatores habuit; ergo.

318. *Nec dicas 1^o.* HILARIUS in *Fragm.* formulam a LIBERIO subscriptam appellat *perfidiam*: sed idem L. de Syn. formulam Sirmiensem primam dicit Catholicam; ergo juxta Hilarium LIBERIUS primam non subscripsit: 2^o. Quo tempore subscripsit LIBERIUS formulæ Sirmiensi; secunda recens erat edita; et paulo post hujus formulæ auctores *Valentem, Ursacium et Germinium*, datis ad eos litteris, LIBERIUS rogavit, ut sibi ab Imperatore veniam redeundi impetrarent: sed hæc indicant subscriptionem formulæ secundæ; ergo. 3^o. *Sozom. L. 4. c. 13.* aperte scribit, coactum a Constantio LIBERIUM ad confitendum Filium Patri non esse *ὁμοούσιον*: sed hoc non primæ sed secundæ subscribendo fiebat; ergo. 4^o. Si nec Beroeæ nec Sirmii LIBERIUS subscripsisset formulæ secundæ non posset dari ratio, cur præter subscriptam jam formulam primam Beroeæ, postea novam subscriptionem debuerit addere.

R. *Ad 1^{am}. D. M.* Formulam hanc appellat *perfidiam*, spectando formulæ auctores eorumque consilium C. spectando formulam secundam se et acceptionem LIBERI N. Consilium auctorum, qui partim Anomæi, partim Semiariani erant, exponitur ab HILARIO in L. *cont. Constant.* eo pertinuisse, ut pro qualibet occasione innovatis et reformatis fidei formulis sensim vis ac memoria formulæ Nicænæ deleteretur; quod utique perfidum erat. Idem etiam Hilarius loco objecto testatur, Catholico sensu hanc formulam a Pontifice esse susceptam.

Ad 2^{am}. R. T. M. Quia incertum est, an editio Sirmiensi formulæ secundæ præcesserit subscriptionem LIBERI, cum juxta Pagium an. 337. exeunte, scilicet mense Decembri, formula hæc sit condita, et LIBERIUS jam anni sequentis 4. nonas Augusti Romam regressus, N. *min.* Ex relata enim observatione vix tempus sufficiebat, ut formula secunda, auctoribus *Demophilo et Fortunatiano*, persuaderetur LIBERIO; præsertim cum vix edita Semiarianos oppugnatores habuerit. Quod vero *Valentem et Ursacium* tanquam deprecatores pro reditu suo litteris compellaverit, nihil pro subscriptione formulæ secundæ præ primæ evincit, cum illi formulæ utriusque auctores fuerint.

Ad 3^{am}. D. M. Coactus est LIBERIUS ad confitendum Filium non esse *ὁμοούσιον* in sensu Pauli Samosat., h. e., non esse eandem cum Patre Per-

soniam C. in sensu Arii, h. e., non esse ejusdem cum Patre substantiæ N. Sozomenus de collectione formularum a LIBERIO Sirmii subscripta loquitur, inter quas prior Antiochena, contra Paulum Samosat. edita, hæreticum ejus in *ὁμοούσιον* sensum damnabat, posterior autem in Encæniis an. 341. celebrata, æque ac Sirmiensi prima *ὁμοούσιον* duntaxat reticebat.

Ad 4^{am}. N. Ass. Duplici enim ex causa Semiariani, qui post damnatam in Concilio Ancyrano Sirmiensem formulam secundam ad Constantium Sirmii confluerant, videntur novam subscriptionem a LIBERIO exegisse: 1^o. quidem, ut falsum de LIBERIO ab Anomæis sparsum rumorem, quasi ille Filium Patri dissimilem profiteretur, dissiparent; unde ad calcem suæ subscriptionis LIBERIUS anathema contra purum *Arianismum* subjecit: 2^o. quoniam *Semiariani* LIBERIUM perducere eo non poterant, ut secum aperte damnetur *ὁμοούσιον*, agendum dolo censuerunt; ut oblata Antiochena formula, qua *ὁμοούσιον* in sensu Pauli Samos. damnabatur; eaque subscripta divulgare possent, ipsum damnationi *ὁμοούσιον* subscripsisse.

319. *Dico III.* Si LIBERIUS est lapsus, nec ut doctor publicus nec ut privatus defecit in fide, sed in fortitudine duntaxat et æconomia.

Prob. 1^a. p. Ut LIBERIUS qua Doctor publicus dicitur lapsus in fide, debuit dogma *Arianum* libere, prudenter ac solemniter definire: sed nullum imprimis dogma *Arianum* definivit *solemniter*, h. e., tanquam omnibus credendum proposuit Ecclesiæ; cum nullum hujusmodi decreti vestigium occurrat: deinde si quid etiam definivisset, id nec fecit *libere*; cum plerique hujus narratores partim minarum et persecutionis, partim metus ac doli mentionem faciant: neque fecit *prudenter*; cum nihil, consulto per preces Deo, adhibitis in consilium viris doctis, institutis Conciliis aut Congregationibus actum, sed LIBERIUS tantum tædio exilii victus et spe reditus occupatus subscripsisse legatur.

Prob. 2^a. p. Ratio dicendi quod LIBERIUS ut doctor *privatus* in fide defecerit, inde desumi debet, vel quia ATHANASII damnavit, vel quia cum *Arianis* communicavit, vel quia formulæ Sirmiensi subscripsit: sed nulla ex his ratio est dicendi LIBERIUM in fide defecisse:

Non *prima*, quia ATHANASII condemnatio ab *Arianis* postulata fuit, non ob ejus dogmata, sed ob crimina alia ipsi imputata; ut ex eorum postulationibus sive apud Imperatorem sive apud summum Pontificem et congregatos in Conciliis Patres constat: et sic etiam facta est a LIBERIO, ut ejus in ep. ad Orient. verba docent: *Ego Athanasium non defendo; sed quia suscepit illum Julius Episcopus decessor meus, verebar ne forte ab aliquo prævaricator judicaretur. At ubi cognovi, quando Deo placuit, juste vos illum condemnasse, mox consensum meum commodavi sententiis vestris; litteras adeoque super nomine ejus, id est, damnatione per Fortunatianum dedi perferendas ad Imp. Constantium etc.*

Nec *secunda*, quia communicavit cum Episcopis, qui quamvis reipsa *Ariani* erant, se jactabant, et a LIBERIO aestimabantur, non dissidere a CATHOLICIS in dogmate, sed in causa facti de ATHANASII innocentia; ut ex subjunctis in ead. ep. verbis colligitur: *Itaque amoto Athanasio, super quo statuta omnium vestrum a me cum sede Apostolica suscipienda sunt, dico me cum omnibus*

vobis et cum universis Episcopis Orientalibus pacem et unitatem habere. Colligitur id ulterius ex ratione acceptandi formulam quam ibid. his verbis reddit: *Demophilus dignatus est pro sua benevolentia fidem veram et Catholicam exponere, quæ Sirmii a pluribus Fratribus et Coepiscopis nostris tractata, exposita et suscepta est.* Ex quibus liquet, LIBERIUM communicasse quidem cum ARIANIS, sed quos existimabat CATHOLICOS, et errorem facti, non autem perversitatem animi intervenisse.

Nec tertia, quia nec formula prima, cui Liberium subscripsisse ostendimus, continebat in se errorem Arianum; unde Hilar. L. de Syn. eam Catholicam dixit, et Vigil. Taps. l. supra cit. addit, *nullum fidelium Catholicum apud Sirmium congregati ex toto Oriente contra Photinum Concilii sanctiones audere respicere, aut cunctari recipere*: neque reticentia *ἁμοούσιος* eam formulam Arianam reddidit; tum quia ad hæresin Photini de solitaria Persona Dei et temporaria creatione Verbi confingendam, ea vox non erat necessaria, tum quia AUGUSTINUS ep. 174. (al. 238.) ad Pascentium Arianum se paratum subscribendi formulæ dixit, in qua nihil fidei est contrarium, licet omissum sit *ἁμοούσιον*.

Prob. 3^a. p. LIBERIUS supponitur esse lapsus in causa ATHANASH, communionis et formulæ Arianae: sed non defecit in fide, ut hactenus est probatum; ergo in fortitudine et œconomia. Conf. Si LIBERIUS est lapsus et ejus error culpabilis; ergo ideo quia tædio exilii victus; putavit defensionem ATHANASH deserere, cum Arianis Catholicos se simulantibus pacem iniri, formulam alias Catholicam, sed aperta *ἁμοούσιου* professione carentem suscipi a se posse: sed in hoc defectus erat fortitudinis et œconomiae, cum eo tempore vox *ἁμοούσιος* erat tessera distinctiva Catholicorum et per ATHANASH latus petebatur Nicæna fides, atque communio cum Arianis habebatur pro consensu cum iisdem; ergo.

320. Nec dicas 1^o. LIBERIUS in ep. ad Ursae. et Valent. hæc scribit: *Quicumque autem a pace et concordia nostra, quæ per orbem terrarum volente Deo firmata est, dissenserit, sciat se separatim a communione nostra*; ergo communionem ac sententiam suam, utpote quam sub pœna excommunicationis proposuit, solemniter definit. Conf. 1. Ex actis Orosii constat, EUSEBIUM Martyrem 14. Augusti in Romano Breviario et Martyrologio ADONIS celebratum, a LIBERIO reduce, quod sibi communicare nollet, vexatum et Constantio vincula injiciente fuisse enectum; ergo. 2. Liber Pontificalis et Faustinus ac Marcellinus, in præf. ad Libel. precum, narrant EUSEBIUM et DAMASUM cum Catholicis Felici adhærentibus se opposuisse LIBERIO, indeque ortam in eos persecutionem; ergo.

R. Ad Arg. N. Cons. Imprimis enim his in verbis nihil est de sententia aut dogmate, sed tantum de pace et concordia: deinde pertinet ad rejiciendos tantum *Anomæos* non vero ad CATHOLICOS: demum si de fidei formula etiam accipiuntur verba, intelligebantur de ea in sensu catholico a LIBERIO usurpata.

Ad Conf. 1^{am}. et 2^{am}. N. Cons. Acta enim Orosii, ex contradictoriis textibus et cum historia alias certa contrariis variis, Tillemont. (Tom. 6. de hæ. Arian. c. 73.) probat esse apocrypha: Præfationem illam falso tribui Faus-

tino et Marcello, et si quidem eorum opus sit, ob mendacia non mereri fidem, superius jam dictum est: Liber vero Pontificalis auctoritatis admodum tenuis apud Eruditos esse aliunde constat.

321. Nec dicas 2^o. Qui inquit communionem cum hæreticis, et damnat fidei defensorem præcipuum, hæreticis est annumerandus: sed LIBERIUS inquit communionem cum Arianis, et damnavit ATHANASIVM fidei Nicænae defensorem præcipuum; ergo.

R. D. M. Qui inquit communionem cum hæreticis, se tales profitentibus, vel agnitis saltem et æstimatis, et ob suam fidei professionem damnat defensorem fidei præcipuum, est annumerandus hæreticis C. qui inquit communionem cum hæreticis, se Catholicos fingentibus, et habitis pro Catholicis, et tantum ob scelera impulata, quæ quis errore facti putavit vera, damnat defensorem fidei N. Postremum autem in hac historia evenisse, constat ex dictis.

322. Nec dicas 3^o. Qui tacet vocem *ἁμοούσιος*, quo tempore hanc vocem tacere idem erat ac negare, ille hanc vocem negat et est hæreticus, juxta illud Luc. 9. *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet*; ubi Matth. 10. dicitur: *Qui me negaverit etc.*: sed eo tempore tacere hanc vocem idem erat ac eandem negare: tum quia hac voce tanquam tessera utebantur CATHOLICI, et ab ea confitenda omni modo abhorrebant Ariani: tum quia ab ATHANASIO et HILARIO vel ob solam hujus vocis reticentiam rejiciebantur pleræque fidei formulæ tunc temporis fabricatæ; ergo.

Conf. Semiariani confitebantur Filium Patri in substantia et per omnia similem, et abstinebant duntaxat a voce *ἁμοούσιος*, sicut Liberius, et tamen erant et habebantur hæretici; ergo et Liberius fuit, et est habendus hæreticus.

R. D. M. Qui tacet vocem *ἁμοούσιος*, quo tempore tacere idem absolute et formaliter erat ac negare, ille negat hanc vocem, et est hæreticus C. quo tempore tacere idem interpretative tantum erat ac negare *subd.* negat et est hæreticus, si taceat plene advertens hæreticorum dolos, nec æquivalenter loquatur T. secus N. Jam vero ex Arianae hæresis historia constat 1^o. tacere *ἁμοούσιον* non fuisse formaliter idem ac negare; cum Semiariani fuerint distincti ab *Anomæis* et *Acacianis*: 2^o. nec tacere semper fuisse interpretative idem ac negare; tum quia Semiariani hanc vocem omitti volebant, quia inaudita ad hoc tempus fuisset, et a Sabellianis male usurparetur, ac præterea sufficeret, si res ipsa diceretur: tum quia LIBERIUM non ideo pro Ariano fuisse habitum quod formulæ, *ἁμοούσιου* voce carenti, subscripsit, vel solus retardatus per annum prope integrum reditus et altera subscriptio ab ipso exacta manifestum facit: 3^o. LIBERIO dolos Arianorum eo tempore non fuisse perspectos docuit eventus; cum constet simili postmodum fraudi, in Concilio Ariminensi adhibitæ et detectæ, ab eodem fuisse fortiter repugnatum: 4^o. LIBERIUM denique æquivalenter professum esse *ἁμοούσιον* non tantum constat ex vi et significatione *ἁμοούσιου*, quam non tantum catholicam sed sufficientem etiam fuisse habitam, ex EPIPH. hæ. 73., ATHAN. et HILAR. LL. de Syn., THEODORET. et SOZOMENO, *Alexander Natalis* contendit; sed ex eo quod, teste SOZOMENO L. 4. c. 13. non ab *Anomæis* solum, sed a Semiarianis LIBERIUS